

1322 setembre 13. Barcelona

*Jaume II a Guillem de Llatzeria, veguer de Girona i Besalú, o al seu lloctinent. Li mana que vetlli per recuperar la jurisdicció del lloc de Palau-sator i que faci condemnar els que ho impedeixen.*

- A. Original: AHCG, Lletres Reials. 165 x 195 mm. Bon estat de conservació. 1: a) *Registrata*. b) *De jurisdiccion de Palau de la Tor* (escriptura coetània). **Segell comú**: 85 mm aprox. **Lletra oberta**. 2: *Es continuada en lo libre verd en cartes CC XL VI.*
- B. Còpia del segle XIV: AHCG, *Llibre Verd*, f. 274v-275r.
- a. C. GUILLERÉ, *Libre Verd...*, doc. 63, ex B.

Iacobus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice comesque Barchinone ac Sanctae Romanae Ecclesie vexillarius, am-miratus et capitaneus generalis, fidelis suo Guillelmo de Laceria, vicario Gerunde et Bisulduni vel eius locumtenenti, salutem et gratiam.

Cum ad nostrum auditum pervenerit quod detentores loci seu ffortitudinis, vocate Palacium *de la Tor*, turbant nos et officiales nostros in iurisdiccione civili et criminali eiusdem loci, quam universaliter nos habemus et habere debemus in loco seu fortitudine supradicta et eius pertinenciis, et qua etiam vicarii et officiales nostri Gerunde usi fuerunt hactenus inconcusse, quodque etiam ipsi detentores predicti loci, usurpando iurisdiccionem nostram predictam, ceperunt et captum detinent quandam hominem Ffrancisci Geronesii, mercatoris Gerunde, de quibusdam excessibus inculpatum in non modicum preiudicium nostri, quibus tota iurisdicccio dicti loci, ut asseritur, pertinet pleno iure. Idcirco, vobis dicimus et mandamus quatenus, visis presentibus, contra ipsos detentores ad recuperandum dictum captum sic fortiter et districte, preeunte iusticia, curetis procedere quod iurisdicccio nostra super hoc non ledatur in aliquo nec ei possit aliquatenus derogari. Et nichilominus vos procedatis ad condempnandum vel absolvendum prefatum inculpatum ut iusticia suadebit, precavendo etiam quod dicta iurisdicccio ulterius nobis et officialibus nostris, ut deb[et]<sup>1</sup> et est solitum fieri, illibata servetur, nec permitatis e[am]<sup>2</sup> ab aliquo occupari vel vos aut officiales nostros in eius possessione seu exercicio minus debite perturbari.

Datum Barchinone, idus septembries, anno Domini millesimo CCC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> secundo. Provisa.

1. Restablim entre claudàtors i segons B les lletres raspades. 2. Ídem.